dotes esse, nam Mariæ dotes esse multo plures. Eas igitur variationes si assumsisset, (v. g. Quot tibi sunt dotes virgo, tot sidera cœlo) totidem, nempe 1022. alios versus ponendo *tot* pro *quot*, & contra, emersuros fuisse manifestum est. Hoc verò etiam in præfatione Puteanus annotat pag. 12. interdum non sidera tantùm, sed & dotes cœlo adhærere, ut cœlestes esse intelligamus, v. g.

Tot tibi sunt cœlo dotes, quot sidera virgo.

Præterea ad variationem multum facit, quod ultimæ in *Virgo*, & *Tibi* ambigui quasi census & corripi & produci patiuntur, quod artificium quoque infra in Daumiano illo singulari observabi-
20 mus. Meminit porro Thaumatum suorum & Protei Bauhusiani aliquoties Puteanus in apparatus Epistolarum cent. I. ep. 49. & 57. ad Gisbertum Bauhusium Bernardi Patrem; add. & ep. 51, 52. 53. 56. ibid. Editionem autem harum Epistolarum habeo in 12. Amstelodami anno 1647. nam in editione epistolarum
21 in 4to quia jam anno 1612. prodiit, frustra quæres. Cæterum Joh. Bapt. Ricciol. Almag. nov. P. 1. lib. 6. c. 6. schol. 1. f. 413. peccato μνημονικῷ Versus Bauhusiani Puteanum autorem prædicavit his verbis: *quoniam verò vetus erat opinio à Ptolemæo usq; propagata, stellas omnes esse 1022. Erycius Puteanus pietatis & ingenii sui monumentum posteris reliquit, illo artificiosissimo carmine,* Tot tibi, &c. qui tamen non autor sed commentator, commendatorq;
22 est. Denicq; similem prorsus versum in Ovidio, levissima mutatione observavimus hunc, Metam. XII. fab. 7. v. 594:

Det mihi se, faxo triplici quid cuspide possim
Sentiat &c. Is talis fiet:
Det mihi se faxo trina quid cuspide possim.

23 Nam etiam ultima in mihi & faxo anceps est. Extat in eodem genere Georg. Kleppisi nostratis Poëtæ laureati versus hic:

Dant tria jam Dresdæ, ceu sol dat, lumina lucem.

cujus variationes peculiari libro enumeravit 1617: occasionem dedere tres soles qui anno 1617. in cœlo fulsere, quo tempore Dresdæ convenerant tres soles terrestres ex Austriaca domo: Matthias Imperator Ferdinandus Rex Bohemiæ, & Maximilianus

nus Archidux, supremus ordinis Teutonici Magister. Libellum illis dedicatum titulo Protei Poëtici eodem anno edidit, quem variationum numerus signat. Omnino verò plures sunt 24
variationes quàm 1617. quod ipse tacitè confitetur autor dum in fine inter Errata ita se præmunit: fieri potuisse, ut in tanta multitudine aliquem bis posuerit, supplendis igitur lacumis novos aliquot ponit, quos certus sit nondum habuisse. Nos ut aliquam praxin proximorum problematum exhibeamus, Variationes omnes utiles computabimus. Id sic fiet, si inveniemq; omnes inutiles. Capita variationum expressimus notis quantitatis, sic tamen ut pro pluribus transpositis unum assumserimus, v. g. — —. —. —. ∪ ∪. etiam continet hoc: —. — —. —. ∪ ∪ &c. Punctis designamus & includimus unam vocem.

Summa Omnium variationum utilium & inutilium 362880 25

Catalogus Variationum inutilium: ——— ———

1. ∪ ∪. v. g. *tria* dant jam Dresdæ ceu sol dat lumina lucem.	40320
2. — —. ∪ ∪. *dresdæ tria* dant jam ceu sol &c.	10080
3. —. —. ∪ ∪. *dant jam tria*	1440
4. —. —. —. —. ∪ ∪. *dresdæ dant jam tria.*	28800
5. — —. — —. ∪ ∪. *dresdæ lucem tria.*	1440
6. —. —. —. —. ∪ ∪. *dant jam ceu sol tria.*	2880
7. —. —. —. —. —. —. ∪ ∪. *dresdæ lucem ceu sol tria.*	28800
8. —. —. —. —. —. —. ∪ ∪. *dresdæ dant jã ceu sol tria.*	7200
9. —. —. —. —. —. —. —. ∪ ∪. *dresdæ lucem dant jam ceu sol tria*	7200
10. in fine ∪ ∪. v. g. *tria.*	40320.26
Summa Variationum ob vocem *Tria* inutilium, quæ exacte constituit dimidium summæ Variationum possibilium.	181440
11. ab initio: —. — ∪ ∪. *dant lumina.*	18000
12. —. —. —. — ∪ ∪. *dant dresdæ lumina.*	9600

GOTTFRIED WILLIAM LEIBNIZ *Arte Cobinatora* LEIPZIG, 1666 THE WARNOCK LIBRARY Octavo